ORATIO DE PACE

IN

lico Summorum Virorum congreſſu,
iſſimorum conſeſſu,
eloquentiſſimorum conventu.

Athenæi Mœno-Francofurtenſis memoriter habita X. Cal. Septemb. M. DC. XLVI.

à

IOHANN: THEODORO SPRENGERO.

Imp. Iuſtin: L. vu. in princ. C. de caduc. toll. Quod belli cal... introduxit, hoc pacis lenitas ſopiat.

FRANCOFVRTI AD MOENVM,
Typis IOHANNIS FRIDERICI WEISSI
ANNO
VnDIqVe nVnC VarIIs pVgnaX freMIt.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

GENEROSA AUTHORITATE,

Avitâ gentis nobilitate, multiplici ſcientiarum cognitione eminentiſſimis

VIRIS

DN. Hectori Wilhelmo à Güntérode Reip. Mœno-Francofurtenſis Præfecto ac Prætori digniſſimo.
DN. GEORGIO STIRICHIO à Schlitz cognomento G[illegible] Equiti Fuldenſi, tam armorum quàm literarum famâ florentiſſimo.
DN. Ioh. CHRISTOPHORO TREUDELIO U. I. D.
DN. Ioh. MAXIMILIANO Zum Jungen p. t. ad Diætam Monaſterienſem & Oſnabrugenſem Legato.
DN. ACHILLI ab Henſperg.
DN. HIERONYMO PETRO à Stetten avunculo honoratiſſimo

Reip. Mœno-Francofurt. Scabinis, Senatoribus, & Scholarchis meritiſſimis.

Evergetis & Mecænatibus plurimùm obſervandis.

POſtquam hanc meam Oratiunculam coram Vobis, fortaſſe non tam perorando, quàm balbutiendo habitam, prælo committi curarem; flagrantem ſitis ardorem extinguere non potui, donec quoſdam nanciſcerer, quorum authoritate muniri & patrocinio foveri valerem.

Quod cùm æquiori, vt ajunt, lance ponderarem, Vobis, Viri generoſi, & antiquæ Proſapiæ ſplendore, & literarum amænitate florentiſſimi, vobis, inquam, hanc raſam quaſi tabulam ex arca Muſarum in publicum ſtudiorum teſtimonium, debitæ gratitudinis teſſeram, æternæque fidei monumentum offerre decrevi; præſagiens, nullam olim Minervæ gratiorem fore paginam, quàm quæ veſtrum nomen ſibi præſcripſerit.

Ecquis enim neſcit, vos tum in militia togata & armata ad miraculum vsque verſatos, tum excelſiorum diſciplinarum faſtigia pul-

cerrimis

certimis immortalis gloriæ triumphis attigiſſe? Ecquis ignorat veſtram mentis & gentis excellentiam, quâ non tantùm mortalium animos in veſtri admirationem excitatis, verùm etiam quàm plurimos alios in æquali dignitatis gradu conſtitutos infinitis paraſangis antecellitis? Cui non innoteſcit tam gratioſa munificentia, quæ multos malignantis fortunæ tempeſtatibus oppreſſos vrſino quaſi more efformavit, efformatos maximis ſumptibus conſervavit, conſervatos denique altiora indies provexit. Taceo reliqua generoſa facinora, quæ ſi exprimere paginæ anguſtia conaretur, perinde futurum eſſet, ac ſi maris vndas exhaurire contenderem. Sed non eſt, vt multis exponam, cur talem ingenii mei partum V. Nobilit. & Amplit. vel ipſis Muſis ſuadentibus conſectare voluerim. Illexerunt me veſtra præ cæteris beneficia, quorum intuitu non tam APOCHAM, quâ me obſtrictum liberem, quàm Syngrapham, quâ me mancipatum obſtringam, ſubmiſſe offero.

Accedit tandem materia Vobis, Viri Generoſi & Ampliſſimi, aptiſſima & convenientiſſima, ut qui, hanc meam Oratiunculam fortaſſe ex infimæ notæ hominibus legere reformident, ſub primum ſtatim limen in vobismet ipſis veluti ſpeculo intuentes, quid boni ſequendum, quidve mali fugiendum fuerit, animadvertant, & veſtra nunquam ſatis deprædicata veſtigia feliciter imitando conſequantur. Accipite igitur ſcientiarum Atlantes levidenſe illud munuſulum tanto quidem Proſapiæ & doctrinæ ſplendore l è impar, ſed, quod ſpero, muneris noſtri parvita m veſtra ſublevabit magnitudo. Inprimis verò illud nominis authoritate, tanquā Achillis clypeo, cōtra iniquos Sycophantarum morſus defendite, nec tam è tenuitate dedicati quàm devotione dedicantis æſtimate. Cætera cum limatiori tempore limatiora prodibunt. Valete ſeculi noſtri lumina patriæ bono, Reipubl. ornamento, reique litterariæ emolumento, & me inter ſervulos veſtros, ſi merebor, deinceps admittite. Dab. Francof. ad Mæn. IIII. Cal. Septemb. M. DC. XLVI.

V. Generoſ. & Amplit: devinctiſſimus Cliens.

I. Theod: Sprengerus.

Socrates

Socrates Xenophonti in lib. de fact. ac dict.

Nullum eſt opus; in quo non accuſentur homines: Difficile namque eſt, ita quicquam peragere, vt nihil erres, quòd ſi etiam ſine errore quiſquam aliquid peregerit, difficile eſt non iniquum iudicem reperire.

Oratio de pace.

ETſi, Nobiliſſimi literariæ laudis præſides, & tu ſtudioſæ juventutis flos lectiſſime, etſi inquam non ſum neſcius, plerosque nonnihil admiraturos, quod ego tanquam pu-[illegible] multijugæ eruditionis viros, hîc vbi tot [illegible], tot Cicerones, liquidò eſſe conſtat, huius [illegible] tyrocinij ſpecimen edere auſim: cùm tamen tempus ſe obtulerit, quod poſt ſapientem in omni actione longè pulcherrimum duxit Imp. Leo, reli- *conſtitut. Imp* gio mihi fuit, ab hoc tam laudabili inſtituto vel latum, ut ajunt, vnguem diſcedere, & puſilli animi homines imitari. Quemadmodum enim leones inter feras principatum obtinent, non quia ſint omnium fortiſſimi, ſed quoniam animi magnitudine maximè præſtant: ſic inter homines ij coronam ab Olympiis petunt, qui glorioſa facinora forti magnoque animo obeunt, nihil intenta-

tũm relinquentes, quõd ad ſcientiam aliquo modo pertinere putant. Quæ cùm ita ſint, ego, politiſſimi Domini Auditores qui amœniſſima Muſarum vireta perveſtigo, aliquãdo periculũ facturus; quædam de PACE habitâ ſtudiorum meorum ratione in palæſtram illã Oratoriam producere non reformido. Sed idem mihi vſuvenit, quod me aliquando in fabulis de Calone legiſſe commemini, cui integrum erat, quicquid ſarcinæ vellet ſumere, modò ne vacuus diſcederet, ille deterritus cum [illegible] colligati ſtraminis, arcæ graviſſimi plumb[illegible]us, quàm ſtraminis ſubire valuit, onus non ex[illegible]re, ſed apparenti cenſens quantitate: Ita & ego materiam hanc levem ducebam, poſteaquam a. humeros oneri ſuppoſui, ſentio eſſe onus Ætnâ gravius, vixq; ipſi Herculi, imò Atlanti tolerabile. Si quidem tanta huius rei cùm magnitudo tum multitudo, tantus ſplendor, tam immenſa claritas ita mentis & oculorum aciem perſtringit, ut nec Oratoris proprium aſſequi, nec rem, vti loquitur Turnerus, cum verbis, verba cum pedibus, pedes cum affectibus, affectus cum figuris, ſingula cum omnibus aptè contemperare queam. Verum enim verò vti ſolem adverſum intueri nequimus, ex eius radiis tamen longè lateq; diſperſis, quanta ſit eius amplitu-

plitudo, quam præfulgidum lumen, facilè explicare tentamus: ſic quamvis in involuto hoc tractatu & mihi ſatisfacere, & veſtris graviſſimis judiciis ſatis ſtrictè reſpondere nequeam, tamen quanta ſit eius ſuavitas, quanta vbertas, me pro virili declarare poſſe non diffido.

Quapropter, vos qui puppim clavumque tenetis, priusquam Orationis vela pandam, & vaſto mari invehar, veſtræ benevolentiæ aurâ (de qua nullus dubito) me balbutientem ſublevate, ac ſi forte à ſcopo aberravero, non tam noſtræ ruditati, quam viridi ætatulæ amanter aſcribite.

Vt igitur hinc mea egrediatur Oratio, quid *Auguſt de Ci-*
Audit. Nobiliſs vberius, quid dulcius, quid libe- *Peregr de jure f* *l. 5 tit. 2. n. 20*
ro homine dignius, toto totius mundi ambitu aut excogitari, aut reperiri vnquam poteſt? Cum tale bonum ſit bonum pacis, ut in rebus creatis nihil vel gratioſius ſoleat audiri, vel delectabilius concupiſci, vel vtilius poſſideri. Hæc omnium volupta- *In pace & popu-*
tum præſtantiſſima, ex hac fructus frumentorum- *ficiunt & utiles* *ſtodiuntur. Caſſi-* *ep. 12.*
que genera repullulant, quæ tum ad victum hominum, tum cultum Deorum pertinent, Secundum illud Tibulli:

Pax aluit vites, & ſuccos condidit uvæ, *l. 1. Eleg. 11.*
Funderet vt gnato teſta paterna merum.

Pace bidens, vomerque vigent, at triſtia duri
Militis intenebris occupat arma ſitus.

r.Dom.

Quare veriſſimè Auguſtinus: Pax, inquit, eſt ſerenitas mentis, vinculum amoris, conſortium charitatis, hæc eſt, quæ ſimultates tollit, bella compeſcit, iras comprimit, ſuperbos calcat, humiles amat, diſcordes ſedat, inimicos concordat, cunctis eſt placida: neſcit extolli, neſcit inflari, hanc, qui acceperit, teneat, qui perdiderit, repetat: qui amiſerit, exquirat. Cui propemodum conforme videtur illud ſumæ eloquentiæ parentis: Dulce, inquientis, eſt nomen pacis, res v. ipſa tum iucunda tum ſalutaris. His cognitis, quis eſt, qui dubitet, pacem optimarum artium quaſi matrem & nutricem eſſe? quæ cum magnam nobis ſoleat & jucunditatem & rei familiaris incrementum afferre, haud malè Martianum Imp. dixiſſe apparet: Donec in pace vivere licet, arma principem ſumere non decet. Hac enim agri, hâc vrbes, hâc res privatæ, hac Reſpublicæ, hâc denique regna conſtituuntur & conſervantur, hanc qui negligunt, ſummam hominum felicitatem non rectè intelligere videntur. Quis eſt, qui neſciat, agriculturam ſine pace nullſatenus conſiſtere poſſe? Hinc qui ruſticorum vitam à pace multum differre putat, perinde

hilip 13. Felix ...eria, ſuadere ...Sym. 6. 61.

...Phryg. in exc. Pulcri^us in otio ...n degere quam ...lta libertatem ...tere de periculo ...ire. Nullum ...pensum prin... ...ſtigio digni... ...m illa cerem... ...e ſervires ... Clement. ...rom.

facit,

 151

facit, ac ſi quis exiſtimet, diem aliud eſſe, quam ſolis lucem terras illuſtrantem, aut tenebras nocturnas aliud eſſe, quam ipſam noctem opinetur. Nam Agricultura ſine pace, eſt quaſi navis ſine clavo, vel vniverſum ſine Deo. Quapropter pacis nonnulli Imperatorum & magnorum virorum ad agricolationem ſeſe applicuiſſe reperiuntur. Hinc & Oratorum Phænix Cicero fatetur: Nihil eſſe tam regale, quam ſtudium agri colendi. Cui Venuſinus vates ſuffragium ſuum addidit: Felicem illum prædicans, qui, relictis cæteris vivendi rationibus, aratro vtatur, illius enim dulcedine illectus his exclamat:

De Sen: Felicius videtu[r] regnum, ubi v[...] manus modera[...] aratro callosas brachia vibran[...] hastis enervata[...] bent Guev in [...] princip. l. 3. c. 15. [...] 504. Agricult[...] animo inservit, [...] pori prodest, for[...] & facultatibus commodat M[...] Iun. quæst. polit [...] pag. 124. 125. & 126. Hennin. [...] sa. c. 12. pag. 3[...]5 Clem. Timpler[...] polit. c. 5. quæst.

Beatus ille qui procul negotiis,
Vt priſca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet ſuis,
Solutus omni fœnore. — *Epodon. l. oda 2.*

Veteres etiam vitam agreſtium longè nobiliorem, quàm Regum & Imperatorum autumabant,

Non alia eſt magis libera & vitio carens, — *Sen Hippolyt.*
Ritusque melius vita quæ priſcos colat,
Quam quæ relictis manibus ſylvas amat.
Non illum avaræ mentis inflammat furor,
Qui ſe dicavit montium inſontem jugis.

 Imò

Imò Xenophon in ſuo Oeconomico illam Imperatoriæ conferebat, & quidam ſuperioris ævi, vt teſtatur Cato, quoties virum bonum nominare vellent, bonum agricolam tanquam ſummo encomio efferebant. Hinc quanto in honore Agricultura antiquitus fuerit, nec ego pro virili exprimere, nec vos, Nobiliſs: Auditores ſatis credere poteſtis. Quod ne meum commentum videatur, produco vobis M. Curium, qui cùm de Sabinis, de Samnitibus triumphâſſet, in agris vltimū ætatis tempus conſumpſit. Produco Attalum, quem ex annalibus regni curâ abiectâ, agros coluiſſe ſatis ſuperq; conſtat. Præterea memoriæ proditum eſt, Diocletianum Imp. depoſito ſponte ſuâ imperio, ad vitam ruſticam ſeſe recepiſſe. Accedit ad hos Numa Pompilius Romanorum Rex, tanto amore tale vitæ genus proſecutus, vt etiam cives ſuos à re bellica ad agri culturā transducere cōtenderet. Quid dicam de Romanis quibusdam, qui quamdiu huic vacarint, declarant hiſtoriæ, declarant ipſa cognomina: Vnde enim Lentuli, Fabii, Cicerones, niſi à lente, faba, cicere? Vnde Bubulcus, vnde Portius, niſi à bobus & porcis? vnde ipſa vrbs, niſi ab vurvo hoc eſt curvatura aratri? Quid de Cyro minori, quid de aliis, qui cùm florente aureo ſeculo inex-

auditam

ydor. Virg l. 3. de ...ns. rer. c. 1. Ca... c. 5. cons. 1.

refert Cato apud ... de Sen.

...ioragius praf. 7. Agric.

...rop. l. 9.

...esbachius de re ...ica Item Ros. in ...iquit. Rom l. 4.

... l. 18 c. 3. Tolo... de Rep. l. 3. c. 6. ... 4 c. 7. ... de ling lat. l. 13. 3. Liben... in coll. pol. ex. 3. 12. M. Martin. ... lexic. philolog.

auditam agricolationis jucunditatem intelligerẽt, liberos ſuos procul ab urbibus ablegabãt, & ipſi, ut anteà dictum, agellos ſubibant. O innumerabilia beneficia vel Canopi divitiis longè præponenda! O, Sanctam veramque lætitiam à Sancta pace profectam! O pacem ſanctiſſimum humani pectoris bonum, tu vrbes peperiſti, tu diſſipatos in ſocietatis vinculum convocâſti, tu tam inventrix legum, quàm magiſtra morũ me illud fabuloſum credere penitus effeciſti: Juſtitiam ab omnium ordinum gentibus expulſam, apud agricolas tui beneficio longiſſimo temporis ſpacio quondam habitâſſe: hoc enim genus hominum innocentiſſimum, puriſſimum, & ab omni malitia alieniſſimum fuit. Reſtat autẽ, ut ad venationis ſtudiũ paulisper accedam, ex quo ipſa pacis ſuavitas magis magisque confirmari æſtimarique facilè poterit, cui non modò antiquiſſimos Germaniæ Principes incubuiſſe cognovimus, verum etiam pleroſque potentiſſimos non belli ſed pacis tempore mirificâ huius delectatione teneri videmus. Quanta enim, florentiſſimà auditorum corona jucunditas, quanta in his ſuavitas? licet interdum venatorio ac collo cornu ſuſpenſo ſignum dare, canibus lepuſculos inſectari: mox alipedes ad retia cervos trahere, nonnun-

Sicut refert Ci[…] urbe Romana […] rat. pro Corne[…] Balb.

Agricolæ Reip. […] ſunt utiles & […] rii Petr. Grego[…] Tholos. l. 4. de […] 8. Alsbus c. 11 […] pag. 114. ab ara[…] conſules arceſſ[…] Cic: in orat pro […] Amerino

Franc. Patr. l. […] Regno Vt Galli[…] biles de quibus […] nunc l. 2. in Pr[…] tinct. Georg. M[…] de Iure venan[…] part. 2 c 12.

Tanta dulcedo […] venationis ut v[…] nator montes ſ[…] et inſtar illius p[…] toris apud Theo[…] de quo Petr. l. […] obſerv: ſomnior[…] qu. 2.

nonnunquam falconum auxilio perdicibus aliiſque inſidias aviculis ſtruere. Qui ibi animi ardor, quæ incitatio, quanta feſtinatio, qui ſudor, qui clamor, qui impetus? Montes aſcenduntur, valles percurruntur, flumina traiiciuntur, denſiſſima virgulta perreptantur, cervi ſternuntur, vulpes fatigantur, vrſi è cubilibus excitantur. Quam quidem ob cauſſam lepidiſſimum venationis ſtudium ab omnibus fortioribus ſummoperè cultum, quod Tacitus atteſtatum reliquit: Germanorum nempe vitam omnem venationibus occupatam olim fuiſſe. Prodeat in conſpectum Mithridates, qui poſt dubias belli adverſitates ad venatorium ludum tanquam Panacæam ſaluberrimam, & levamentum omnium malorum confugiſſe legitur, tantâ voluptate perceptâ, vt cæteris longè valere juſſis, ſeptennium integrum in ſylvis & nemoribus remoratus, ſolo venationis ſtudio animum reficeret. Prodeat Henricus primus, Saxoniæ Dux, quem inter venandum imperii inſignia & titulos conſenſu ſingulorum Principum oblatos accepiſſe reperimus, de quo ita Sabin.

de Plutarch. in [...]a Pelopida. Stra[...] nem & Sta:ium [...] venatione ſcribē[...] n l. 2. Achillei[...]s.

[...]tric Senens. de re[...]o & Regis inſtit. l. [...]tit. 6.

Cùm ſine legitimis defuncto Cæſare natis
Regia progenies nulla ſuperſtes erat.
Albis ad Arctoas Henricus tranſtulit undas
Sceptra, Luitholdo Saxone natus homo.

[...]de Imp. Germ.

Fallere

Fallere quòd volucres laqueis viſcoque ſolebat,
Aucupis aucupii nomen ab arte tulit.

λ53

Taceo Carolum Magnum. Silentii ſipario involvo Iulium, imò ipſum Chironis figmentum ſicco pede tranſeo. Minimè itaque mirum, ſi & venationis fructus beneficio pacis longè præclariſſimus prædicetur, cui nullæ *Myrmillonum* dimicationes, nulla athletarum certamina, nulla Olympicorum curſuum ſtadia conferri queunt. Hinc nec † Alexander nomine & re Magnus frequētiſſimè agitare feras dubitavit, in cuius aulâ nemini licebat, Maximorum etiam principum accubare, niſi qui aprum extra retia cepiſſet. Quod cùm veriſſimè ſeſe habeat, quis non pacē eiusq; fructus ambabus, ut ajunt, vlnis amplectatur? quis non cum Horatiano venatore teneræ conjugis, dicente Lyrico, immemor, ſub jove frigido maneat? quis non cum Mithridate per rivos, per ſaltus, per juga, per montes, omnis tēpeſtatis negligēs repere inſtituat, cum Henrico per avia locorum erret, cum Carolo Magno ad altiſſimas vſque rupes damas inſequatur? Iam v. inſani eſſet hominis ſponte ſe ſine vllo fructu periculis obiicere & tempeſtatem adverſam optare, qui poſſet privatus piè & ſecurè in tranquil- lo, ut

Venatio maxima rerum meditationi valde idonea eſt: Plin. Secund. Iun: lib. ad Cornel. Tac. Plato adhortabatur pueros ad venationem l 6. de legibus. Studium venandi honeſtum exercitium Cic. l. 1. offic. Ariſt. 1 polit. c. 5. Commendant hanc Xenophon, Oppianus, Cilix, Gratianus Poeta Calliſthenes quem citat Plutarch. Soſtratus. Marcus Aurelius Olympius Nemeſianus Poeta. Ioannes Elius. Michael Angelus Blondus. Angelus Bargaeus & plures alii de quibus vide Tyraquellum in tract. de Nobil. c. 37. n. 142. & 143.

† Hic non tantum hinnulos capreolosque venabatur, verum etiam Leonem in ſylva deiecit. Guev. in horol. princip. l. 1. c. 6. n. 470. item Plutarch. in Alex. Cic. 1. off. & Hereſbach. de re ruſt.

proxima ſordent & [illegible] ginqua [illegible]. Petrar. epiſt. l. 3. Effœminat animos amœnitas nimia Sen. ep. 51. Aurum & purpura curis exercent hominum vitam, belloq; fatigant Lucr. 5. extrem. Quē cepit vitrea fama hunc circum tonnis gaudens Bellona cruentis. Hor 2. Sat, 3.

lo, ut priſca gens mortalium, vivere. Titillat alios vana cogitationũ rota, alios emolumentùm alios belli alea. Nos ſi hac vitæ ratione contenti eſſemus,

Nec nos atria, nec domos potentum,
Nec lites tetricas, nec forum triſte,
Noſſemus nec imagines ſuperbas.

Sed ne ſoli lucernam, & teruncium Craſi argento addere videar, deflectamus aliquando navim ex mari ad anguſtius fretum, & quantùm pax bello præcedat, penſiculatiùs diſpiciamus.

[illegible] ſius pacem ſa [illegible] formare quā [illegible] conſice. [illegible] ann 2 Con[illegible] b[illegible] obſe[illegible] omnibus [illegible] pulcriora [illegible] paneg Hone. [illegible] pacem poſſe [illegible] quàm ba[illegible] p[illegible] ſerre [illegible] princip 2 [illegible] 31 n. 355 Pax [illegible] rerum, bel[illegible] Ter[illegible] Martyrei [illegible] æſtimanda [illegible] Chriſtiani animi [illegible] quam Romani [illegible] Guic [illegible] princ. l. 3. c. 15. n.

Cùm igitur pax in hac civili ſocietate prænobile & ſingulare Dei donum ſit, nullum tam ab omni humanitate alienũ & Scythicæ ruditatis hominem fore exiſtimo, cui pacem bello, virtutem vitio, quietem tumultui poſt ponere allubeſcat. Siquidem, diribitore Quicciardiano pace nihil ſanctius, nihil magis neceſſarium, nihil Deo gratioſius, ſine qua religionem & hominum pietatem in apertiſſimam perniciem ruere, vel manibus tangi poteſt. Vnde Sil.

Pax optima rerum,
Quas homini noviſſe datum eſſe, pax vna triumphis
Innu-

Innumeris potior, pax cuſtodire ſalutem
Et cives æquare potens,

Sic. Aug: Spiritus humanus nunquam vivificat Eccleſiæ membra, niſi fuerint in pace vnita: *de civ. Dei.*

Et Mant:

Pax plenum virtutis opus, pax ſumma laborum,
Pax belli exacti eſt precium, preciumque pericli.
Sidera pace vigent, conſiſtunt terrea pace.
Nihil placidum eſt ſine pace Deo, nec munus ad
(aram.

Pax enim juſtitiæ finis & merces, populi ſalus, Reipublicæ teſſera, rerum actionumque humanarum anchora, quam norunt pauci, merentur qui boni ſunt. In quam rem minus inepte Petilius: †Quid cupere potes, quod ex ſola pace tibi non promittas. Vultisne honoratiſſimi Auditores omnium rerum vbertatem? Vultis pietatis ſplendorem? Vultis imperii auctionem? ſectamini pacem. Abſq; hac enim neminem fortunis ſuis frui, ſine superventu cibum capere, quietè dormire, ſecurè iter facere, vicino fidere poſſe, rectiſſimè ſentit Guevara. Talis vbi deeſt inanis omnis labor, inanis omnis

Hinc Margarita Burdica Auſtriæ Archiduciſſa [illegible] gubernavit Remp. ut proceres in concordia civitates in tranquilitate vniverſũ populum in pace conſervaris. Scot. l. 1. comment in annal. Tacit. pag. 97 n. 30.
†Exarch. l. 9. c. 97.
Pax victis utilis, victoribus pulcra Tac. hiſt. 3. Lips. l. 5. c. 17.
Pacem reduci velle victori expedit, victo neceſſe eſt. Sen. Herc. fur. 2.
in horol. princip. l. 3. c. 14. n. 498.

induſtria. Hoc eſt illud bonum, quod ceu pulcerrimam Helenam multi ambiunt, pauciſſimi exambiunt. Hoc eſt illud bonum, quod legitimum illud Nepenthes propinat, in quo oblivio curarum & dolorum: Hoc eſt illud bonum, quod Poëta tantopere commendat:

Pax Scholas & templa beat ſevero,
Iure florentes moderatur vrbes,
Vt queat rectè ſobolis doceri

Vita politi.

Ioh. Roſinus in antiqu. Roman. l. 2, c. 18.

Quippe non abs re pacis templum Romæ fuiſſe magnificentiſſimum annalia prodiderunt. In quo tanquam Muſarum Parnaſſo omnium rationalium artium profeſſores conveniſſe author eſt Galenus, cuius ſimulacrum, nonnunquã cum ſpicis, interdum cum oliva & lauro coronabatur, interdum cum roſa, interdum ſolo caduceo ſignificabatur. Si hæc ita ſunt uti certè ſunt, pax florentiſſima omnium ſcientiarum mater, ſeceſſus eſt ad DEUM, abitus ad immortalitatem, præmiſſio, ad vitam æternam, ad veram noſtram patriam. O incredibile Dei Ter. Opt. Max. beneficium! Quis hoc non quaſi è cælo datum & oblatum maioribus

[illegible] i. pax [illegible] arti- [illegible] Tacit.

bus noſtris olim dixerit? Quis hoc vel æthereo illo ſidere, ex quo omnis vitæ calorem deducimus, levius cenſeat? Scio, ſi vel ipſum Heſperum vel reliqua cæli lumina interrogemus, ea reſponſura ſcio nihil totâ terrarum machinâ illuſtrius, nihil divinius inter plurima naturæ miracula mortalib⁹ traditum eſſe. Quin & ipſe filius Dei ſtare illud regnum poſſe negat, quod multùm diuque diſcordiis agitatur. Quemadmodum enim lapides quidam Inſulæ Cycladicæ (teſte Plinio) integri natant in aqua, fracti concidunt in fundum, ita Reſpublicæ diſcordiis peſſum eunt, & quamociſſimè collabuntur, concordiâ v. manent, & ad finem vſque ſartæ tectæ conſervantur. Quod expreſſè docuit Scylurus ille Scytha, cum moribundus ex telorum faſciculo colligato, & poſtea ſoluto, filiis indiſſolubilem quandam concordiam inculcavit. Nec hoc ignoravit Rex Mycipſa, qui iam iam moriturus filios ſuos paterno monebat affectu, hanc aureis ſemper ſcribendam litteris ſententiam addens; Concordiâ res parvæ creſcunt, diſcordiâ magnæ dilabuntur. Quare Hor:

Luc. 11.

36. c. 17.

Periculoſiſſima civitatibus diſcordiæ civiles. Patrit. l. 8. de regno tit. 14. Antimachiav. l. 3. de regno adminiſtr. Richter: axiom. pol. 217. Hoenon. in diſp. polit. 7. 93.

Sall. de bello Iug.

1. Carm. 13.

Felices ter & amplius,
Quos irrupta tenet copula, nec malis

Divulſos querimoniis
Suprema citius ſolvet amor die.

Pier. l. Hierogl 32. c. de tricipitio.

Inde (ut fabulas attingam) repertum eſt Geryonas ab Hercule nunquam vinci, niſi disiunctos & ſeparatos potuiſſe. Sic enim, juxta commune philoſophorū, virtus unita eſt potior diſperſâ. Sed quid pluribus opus? cùm talium pleni ſint omnes ſcriptorū libri, omnes ſapientum talia ſonēt voces. Poſſem Antonium Pium: Poſſem † Auguſtum Imp. poſſem & alios tam ſuperioris quàm moderni ſeculi commemorare, niſi lippis & tonſoribus illud Mant. notum fuerit:

Schebler. ex. 7. ax. 4.

De quo Iulius Capitolinus.
† De quo Lans: in conſult. Europa.

Nulla quies homini, nulla eſt ſine pace voluptas,
Nullus amor, nullum religionis opus.
Pax vrbes, pax templa ligat, pax congregat vrbes,
Fiat vt ex multis vrbibus vna domus.

† Cùm contrà bellum omnium immanitatum epitome & calamitatum farrago dici mereatur, quod experientiâ teſte, plus habet impendij quàm compendii, plus in gerendo detrimenti, quàm geſto emolumenti: Nec ſapientis, judice *Lact:* ſit velle certare, nec periculo ſeſe immittere, quoniā & vincere non eſt in noſtra poteſtate, & dubiū omne certamen

† Aug. in de ver. relig. c. 16. fol. 61. l. 6 & Cic. l. 1 offic. [illegible] l. 6. epiſt. 6. quod tam victorib' quàm victis incertū praebet ex tuus Hyppo. a colliſ. in confutatiōe p. 233. Cōſiderandum eſt fortunam eſſe victricem [illegible] l. 1. Pauſan. l. 4. Diodor. Siculus l. 2. fortuna p omnia humana maxime in re bellica potens. Liv. l. 9. rei bell. ca. [illegible] habet eventus Nazar. Paneg. 1.

tamen

tamen. Erat, vt ex hiſtoriis noſtis, ſane potens Xerxes, præliis tamen aliquot victus, fugâ ſalutem ſibi quærere cogebatur, ait Poëta:

Mars dubius, nec certa Venus, victique reſurgunt,
Quosque negas vnquam poſſe jacere, ruunt.

Quippe hac atrociſſimâ belli flammâ nobiliſſima Academiarum deflagrare faſtigia, bonos mergi, malos erigi, reptare aquilas, volare âſinos, vulpes in curribus, corvos in turribus, litem in judiciis, veritatem in conviciis videmus. Vnde Cajus Mutius dixiſſe fertur, ſe tempore belli propter armorum ſtrepitum leges audire non poſſe. Hæc ſcilicet cauſa eſt, cur aurum ſcoriâ, honeſtas nequitiâ, virtus barbarie commutetur: Hæc cauſa eſt, cur aurea Academiarum aura in extremam morum pravitatem, in deterrimum libidinis cænum degeneret, florentiſſima ſtudia veluti illa Tytij membra miſerrimè dilacerata cadant, diſciplina inter maris ſcopulos fluctuans langueſcat, profeſſores illudantur, Oratores ſpernantur, Philoſophi iniuriis & contumeliis afficiãtur, ita etiã, vt ſingulos politioris literaturæ peritiſſimos hac de bacchãte crudelitate àmalè feriatis invidorũ ronchis & virtutum Sandapilariis plerunque

Guevara in hor. prin. l. 3 c. 15. n 505. & Minut pag. 356. cum belli ardore ſævitur, meliores potius occumbūat. uti refert Hieronym. de Cavall in Specul. comm. opin; contra comm q. 906 n. 4. Guevara in horol. princip. l. 3 c. 14. n. 501. Languet optimarum artium amor. Lips. cent. ſing. epiſt. 17. Tibull. l. 1. eleg. 4. Agellius l. 20 noct. Attic. c. 9 potentior Imbecilliorum coercet. Thucyd. l. 1. p. 23. in Orat. Athen. contra Laced. Seneca in Thyeſte in nos ætas ultima &c.

runque exſibilari, Philoſophos videlicet moroſophos, Juriſtas jurgiſtas, Oratores aratores, Phyſicos Phtiſicos, Opticos Scopticos, Ethicos Ethnicos, Philoſophiæ & artium magiſtros, Sophiſticarum & nugarum miniſtros vocari experiamur. In quos ſiniſterrimos mores haud invenuſtè illud Poëtarum ſidus Ioh. Petr, Lot[illegible]

Arma tenent pro lege locum, lex exulat, arma
Quando rigent Martis bellicus atque furor.
Iam grex non lex, Mars non ars, non hoſpes at hoſtis
Regnat, & imperio ſævit vbique ſuo.

Agite igitur ô Illuſtriſſimi Romani Imperii Atlantes ac Principes, agite, inquam, & cautos imitati naviculariοs, quò belli fluctibus & ventorum injuriis agitari magis magisque Germaniam videtis, eò ardentius in id vnicum incumbite, vt ſedatâ irâ, diremtis contentionibus, ſublatâ invidiâ firma atque diuturna pax recuperetur. Non enim quæritur pax, teſtante Auguſtino, vt bellum exerceatur ſed bellum geritur, vt pax acquiratur. Facilè etiam meâ quidem opinione incendium illud exortum jam dudum extingui potuiſſet ſi primores ipſi, qui hac vltimâ mundi ſenectâ Reipublicæ clavum tenebant in iis, quæ parta eſſent, citius conſervandis elabo-

De verb. dom. Ariſt. l. 2 Polit. Cic. 1. officiorum. ſapientes [illegible] cau[illegible] bellum gerant Sal. de rep. ordin. [illegible] [illegible] Quæ deſi[illegible] [illegible] l. 3. c. 15. n. 507. ſub. [illegible] pacis [illegible] & Alth. polit. 1650.

elaborâſſent, quàm in exteros aut etiam ſeipſos bella provocâſſent vel ſiniſtris locum ſuſpicionibus relinquere, vel aliquam de mutua concordia curam ſucipere voluiſſent. Cur enim ad odium proclives, propenſi ad inimicitias, ad bellum proni eſſent illi, quos ſociavit voluntas, conglutinavit natura, ſangvinis conjunxit communio? Cur non placari atque conciliari ſe ſinerent illi, qui in Chriſti nomen ſemel iurarunt, qui eundem in cœleſti palatio patrem atque totius mundi conditorem agnoſcunt, qui errantibus ignoſcere, cum inimicis in gratiam redire, lapſis opem præſtare iubentur. Vos igitur his aliisque malis mederi volentes, ſublato prius litium fomite, cohibete furentium hominum impetus, nefarioſque conatus, ne vobis aliquando, † vti dicit *Aug.* quibus initium fuit ſine prudentia, finis eſſe ſoleat cum pœnitentia. Nam quantopere jmperii membra dehiſcant, quanta animorum ſit diſjunctio, quanta religionum confuſio, quot Reipublicæ concuſſiones, omnes non ſine parvo dolore inſpiciunt, atque inde vltimam rebus humanis periodum imminere coniiciunt. Commune eſt hoc periculum, communis metus, commune malum. Dum noſmet ipſi in tanto verſamur belli diſcrimine, dum patriæ, dum domi-

Periculum eſt ne plura appetendo parta quoque amittantur Dionys. Nemo nimis cupiat ſic res deſideret alienas, ne plus cùm cupiat, perdat & id quod habet. Avic. fab. 25. Melius eſt imperia augere hominum conſervatione, quàm rerum acquiſitione. Iuriſc. l. 7 §. 3. ff de bon. damnat. Ioh. 14 Non ſtudeamus vindicari, qui nobis precamur ignoſci. Leo. ſerm. 1. quadrag. Non ſit exactor vindictæ, qui petitor eſt veniæ. Idem Serm. 5. quadrag. Liberale & fructuoſum eſt paululum nonnunquam de ſuo jure decedere Cic. 2. offic: Si egregium eſt hoſtem abiicere, non minus tamen laudabile eſt ſcire in felicem miſereri Val. Max. 5 Nemo vindicare ſe tegetur Sen. 3 contr. 5 ſeveritas nimia valde periculoſa Melch. Iun. quæſt. polit. 79. Reuſn. l. 3. c. 4. Rich. axiom. polit. 292. Immanitas non habet diuturnos ſucceſſus Strig. part. 2. Chron. Manſuetudo virtus maſculi & generoſi animi eſt. Gaitczi lib part. 1 hypotheſ. 9.

† *Epiſt. 82. Deliberandum eſt diu quicquid ſtatuendum eſt ſemel. Sen.*

bus,dum familiis,imò cervicibus noſtris truculentum & capitalē hoſtem inſidiari intelligimus, dum omnia immani quadam feritate longè lateque vaſtari comperimus, dum inter talem tubarum ſonitum, nihil niſi incendia, nihil niſi ruinas, nihil niſi rabiem barbarorum oculis vidēmus & manibus quaſi palpamus. Proh miſerrimum Germaniæ fatum! Proh miſerandam rerum faciem! Siccine nobiſcum agier oportebat? Siccine nos ad infimos Orci colubros deduci conveniebat? Proinde q. de junioribus olim ſcripſit Romanæ facundiæ flumē, idem de nobis hodierno tempore multò veriùs dici poteſt. Facilè in morbos incidimus, graviùs ægrotamus, triſtiùs curamur. His perſpectis, totius Germaniæ proceres talem penitus belli aleam perinde ad peſtilentiam quandam atrociſſimā navib⁹ & quadrigis, remis ac velis non ſolùm ipſi effugite: verùm etiam ab aliis, quantum per vos fieri poteſt, avertite & propulſate. Etenim omnia conſilio priꝰ experiri, †. quā armis decertare ſapientem decet, & melius eſt, † vt cum Tacito loquar, conſiliis res externas moliri, & arma procul habere. Inprimis a ſapienter Alphonſū Regē monuiſſe cogitate, iratis atq; oblatrātib⁹ canibus, ne mordeāt, offulā obiiciendā hoc eſt benevolētiā & liberalitate placādos hoſtes

Omne bellū facile ſumitur, ægerrimè deſinit. Sal. Iug. in cuius poteſtate nec initium nec finis. Hyppol. à coll. in princip.

† Terent. in Eun. act. 4 ſc. 7. † l. 7 annal. Plus in conſilio quā viribus præſidii ponendū Dionys. 37. Conſilio prius quam vi bellum gerendū Mamert. paneg. Nihil eſt in omni vita prius conſilio. Fab. 6. 6. Optima conſilia, quæ verſantur circa conjunctiones Rienk de regim. Secul. 5. Rom. Imp. cl. 5. n. 13.

ſtes eſſe. Quin & ignoſcentias ſeu [illegible] vtiles fore rebus humanis, teſtatur Gellius. Nec ſubditos veſtros (quod primum & maximum eſt) ad illegitimam aut inhoneſtam pacem perducite, ſed remoto fonte inſtar prudentis Medici morbi radicem inveſtigantis, removete ipſos rivulos alias bellum glorioſum inhoneſtâ pace eſſet optabilius. Qua de cauſſa Senatus Rom. M. Clodium Corſis, quia turpem cum iis pacem fecerat, dedidit, eundemque ab hoſtibus non acceptum publicâ cuſtodiâ necari iuſſit. Agnoſcite agnoſcite inquam illud Mauritij Illuſtriſſimi Heſſorum quondam Principis:

Romani Imperii, quæris, cui ſceptra dabuntur,
Aut nulli, aut uni, aut pluribus evenient.
Evenient nulli, ſi ſit concordia nulla,
Diſſita nec poterunt membra creare caput.
Et facile inſtituet mala diffidentia plures;
Quæ res Imperij certa ruina foret.
Uni ſi vultis, concedat laurea regni,
Unite ô PROCERES pectora veſtra probè.

Quod vbi feceritis, non tantum veſtræ dignitati, & ſubditorum ſaluti conſuletis, verum etiam de tota Germania jam jam ad interitum inclinante bene merebimini. Hoc enim multorum annorum intercapedinibus in votis

Noct. Attic. l. 7.
3
Limnæus in Iur. publ. l. 2.
c. 31. n. 355.
In pace ſuſpecta tutius
eſt bellum Tacit. hiſt.
Fran. Zoann. de Rom.
Imp. n. 1.
Val. Max. l. 6. c. 3.
Frequentiſſime converſatorum pacisque
ſimulatio nocuit,
quam arma noturnūe
Veget. 3. 3. Pace quæ
nihil habitura ſit in
ſidiarum, ſemper eſt
conſulendum Cic.
offic. 1. Vel infelix bellum
ignominioſa pace
præferendum Liv. l. 1.
Nobis eſt faciendum
intrepide aut patiendū
ſi turpiter eius pace frui
valeamus Polyb. l. 3.
Mors potior in honeſta pace Lips. Greg. l.
11. c. 13. Bodin. l. 5. c. 6.
de Rep. Aub. c. 3. 1. 6. 1.
ne contrahentium
propoſitum ſit adverſarios ſuos in pacis
tractationibus non aliter
quam feras in venatoribus venator
comprehendere; German: Franc. in repræſent. pacis generalis c.
10. Lips. l. 5. civ. doctrin. c. 17. Tholoſ. l. 3. de
Republica c. 13.
Sleid. l. 20. comment.

optatisque habuimus, quò omnia, quæ jam accenſa ardent bello, parvi temporis ſpacio reſtinguantur, & ea MONASTERII quærantur, quæ potius ad exulceratos animos ſedandos quàm inflammandos accomodata videntur. Interim filum rumpo, & ad te (quod reliquum eſt) *Rex Regum*, *Princeps Principum* æterne pater confugio, qui provincias conſtituis, Republicas ornas, *Imperia* fundas, duces eligis, multos authoritate & dignitate coronas: Tu vera vitæ lux ab omni adverſa procellarum tempeſtate noſtram hanc naviculam protege, patriæ patres, benefactores & nutritios nobis conſerva, nubes è Republica ſerenitate vultus tui abige. Tu malevolorum conſilia & pectora quovis adamante duriora, ſi forſan quid improbè tentare voluerint, vltra Garamantas & Riphæos montes abige, halcyonia promove, ſtatum denique Eccleſiæ & nobilis noſtri *Athenæi* ſub inexpugnabili clypeo muni, quò poſt fluctus fructus, poſt nubila ſolem, poſt lachrymas riſum, poſt exilium paradiſum provenire, diſſipatas *Academias* recolligi, priſtina exercitia repeti, atque ſingula in priorem florem reſtitui ſpectemus. Præſertim v. omnium illud maximum columen & præſidium fortiſſimum *Imperatorem*, Romanum Auguſtiſſimum

mum ab omni malignante novercantis fortunæ impetu ad continuam felicitatem tuere, equos in bboves, lanceas in ſtimulos, ſagittas in vomeres cõverte, tam publica quàm privata incommoda arce, poſtremò nos omnes & ſingulos ſuaviſſimo concordiæ oſculo devinctos rege, defende, cuſtodi. Quod vt fiat, in hocce erumpere volui elegidion.

Vndique cùm ſterili regnet Bellona tumultu,
Excitet & ſævos dira Chimæra duces:
Alme pater tutam nobis concede quietem,
Alme pater flatu diſcute bella tuo:
Seu Mahometigenas armis excinde cohortes,
Has vltra ſtygios ſive repelle lacus:
Pax vt honoratas transmittat in horrea meſſes,
Horrea lacteolis condecorata roſis:
Pax repleat rutilo ſtagnantia pocula Baccho,
Erigat illa Scholas, erigat illa domos.
Hinc poterit rigido celebrare Palilia fæno
Paſtor, & indomitos paſcere monte boves.
Hinc poterit pingues tutò numerare juvencas,
Ad liquidas ripæ prætereuntis aquas:
Nec minus Aonios ſibi finget arundine cantus,
Per loca, per ſalebras, per vada, perque vias.

Induet optatum pietas renovata nitorem,
Prata fluent oleo, flumina mella dabunt.
Ante velut biſido ludent Helicone Sorores,
Ante velut populum mollia iura regent.
Lancea ſic raſtro, ſic bellica machina falci,
Sic cedent curvo ſpicula torta jugo.
Sic mox Saturni felicia regna redibunt,
O deſiderio regna petita meo!
Nullus vbi rutilis miles radiabat in armis,
Sed licuit tenui vivere poſſe casâ:
Nec procul à viridi convivia ducere luco,
Quâ viret arboreis populus alba comis.
Intereà noſtræ proceres miſerescite ſortis,
Pendeat ex veſtro ſarcina tanta ſinu.
Quid teritis varios fruſtrà conventibus annos?
Tempus erit tales præcipitare moras.
Vos ô Semidei, vos ſi medicamina noſtis,
Ferte, precor, largam ferte ſalutis opem.
Per vos quæ cecidit, per vos pax alma reſurgat,
Per vos curari vulnera tanta queunt.
Nam niſi facundam reddat concordia pacem,
Sqallebit miſero Curia noſtra ſitu.
Dum ſe liligero ſubdet Germania Regi,
Quæ res aſſidui cauſſa doloris erit.

Nunc

Nunc animoſa tuis ergò Germania rebus
Conſule; ne triſti vulnera clade feras:
Gallica vel variis acies inſtructa catervis
Te premat, aut veſtras depopuletur opes:
Quod ſupereſt, calidos reſtinguite fontibus ignes;
Sive MONASTERI nectite pacis opus.
Cùm nil tot caſulas, tot fulgida regna, tot vrbes,
Profit ſangvineâ commaculâſſe manu:
Sicut enim craſſi faciunt vbi prælia turdi,
Dantve per alternas livida ſigna vices,
Mox celer admotis milvus ſecat aera pennis,
Hos rapit, hos roſtro dilaniatque ſuo.
Sic vos dum ſtrictò geritis certamina ferro,
Turcicus Adriacas diripit hoſtis opes.

D I X I.

ISA. 26.

Domine dabis pacem, omnia enim opera noſtra operatus es nobis.

****
****
**

AD
Adoleſcentem ſpei mihi perſua-ſiſſimæ eiuſdemque o[illegible]mæ,
IOHANNEM THEODORUM [illegible]ENGERUM,
DE
PACE
Eleganter memoriterque perorantem.

Ivitis ingenij vires exprome rurſus
Quòd, SPRENGERE, paras, ore manuque probo:
Quippe magisq; magisq; PATRIS (velut vnica proles
Aſcanio ſimilis) ſic imitaris iter.
Surgis in exemplum Docti PATVELIS AVIQVE,
Quorum nunc mentes ſydera cella tenent.
Addo quòd & mollitam currat tramite carmen,
Et tam ſuave tuum ſit Latiale melos,

Vt nul-

Vt nullus verear tibi tempora cingere lauro
Cæsarea, modo dum res tibi grata foret.
Aſt vt Pace tuâ dicam, de Pace quid inſtas
Multa loqui, Pacis ſpes vbi nulla micat?
Vltima num neſcis quòd iam ſint tempora (mundi?
Atque quod interitũ Machina tota petat?
An latet Imperivm Romanvm non fore fir- (mum?
Scita [illegible]phetarum conſule, certus eris.
Termi[illegible]s ante fores, quem quondam Græ- (cia ſenſit,
Tevtoniæ terræ terminus ante fores.
Græcia mirificè virtutem primitùs omnem
Quærebat, vitam ſimplicitate colens.
Hinc variis ditata bonis hinc Cvria facta
Mvsarvm celebris, deficiente nihil.
Dedita ſed vitiis & gaudia corporis vſui,
Plena voluptatis quando ſecuta fuit,
Mox Mahometigenæ ſubiungitur illa ty- (ranno,
Nunc ut deformis fœmina ſpreta jacens.
Heu miſerum Fatum! metamorphoſisque ſi- (niſtra!
Cervici noſtro non metuenda minus.

Dapſile nonne vides, quàm PACIFICATIO (lentè
(Dudùm cœpta) ſuum progrediatùr iter?
Dum quivis, num forte ſuis victoria ſaltem
Vnica cedat adhuc, arrigis auriculas.
Nonne vides, quod miles atrox te tractet vt (hoſtem,
Quem defenſurum ſe ſceleroſus ait?
Et GENVS & ſpeciem, GENERALIS diripit; eius
Quiq; LOCUM-TENET; is noſtra tenet pa- (riter:
Nonnullus miles ferus OFFICIARIVS audit,
Rectè nam variis OFFICIT ille modis,
Jactat amore tui ſe deveniſſe, ruentis
Admotu patriæ proximiore ſatum:
Sed tua, ſub ſpecie, bona, deprædatur amici;
Quàmq; diu quid habes, hoſtis haberis ej.
Siccine quis PACEM fieri menteſque piandas
Vllo placari tempore poſſe putet?
Cauſa mali SVECVS non eſt, GERMANIA! non eſt
CELTICVS, ex ſolâ te tua perditio.
Tu ſpretor ſuperûm, mi ſympatriota, ſepultus
Luxu, tu patriæ proditor ipſe tuæ,
Seditionis amás, juſti ſimul immemor, æquâ
Amplius haut poteras cõmoda mẽte pati:
Inquis

Inquis, te bellum pro Relligione movere,
Dum tua, Relligio, pectora, nulla, movet.
Crede mihi, faciens bona, vitás & mala, tinctꝰ
Gurgite ſancto, ſat relligionis habes.
Mitto plura; quod & ſupereſt SPRENGERE,
(Jehovæ
Supplico, conamen dirigat omne tuum.

Meritiſſimæ benevolentiæ
ergo lubens f.

Ludov. von Hornick Utr. juris
& Medic. Doctor Conſil. & Comes palat. Cæſareus.

Magnæ expectationis Adoleſcenti, & Etjam tum Poëtæ induſtrio,
IOHANN-THEODORO SPRENGERO
SUO.
Super commendata pacis bonitate, perorantI:

IN foribus pax nuper erat, pax optima rerum,
Nunc atrox omnes Mars furit ante fores.

 Quo

Quo ruis, ô commune bonum? Quò patria virtus,
Longius à nobis, vix reditura, fugis?
Siſte gradum! veteriſque reviſe Tuiſtonis aras.
Exul, ut exilium ſit procul, eſſe cave!
O Theodore, *tuis cur non ego gratuler auſis?*
Mirer & ingenii fertilioris opus?
Qui, caput ingenuas extollens ritè per artes,
Diſcis Arioniæ plectra movere lyræ.
Qui, ſophiæ cultos juxta digreſſus in hortos,
Nomen ab eloquii laude referre cupis.
Ecce! tuos iam tum ſuperas felicibus annos
Carminibus, quæ te caſta Minerva docet.
Ergò, dum pacis quoque te pia cura remordet,
Funde DEO ſacras, pacis amore, preces.
Quo ſitis humani cadat importuna cruoris,
Et prædæ ceſſent, exiliique metus:
Tunc etiam tibi pacis honor, tunc Muſa favebit:
Rectius. In bellis eſt quia nulla ſalus.

Singular. amoris Ergo! appoſuit.

J. P. Lotichius.

Ann. M. DC. XLVI XIIX. Calend. Quintil.

Epigram-

 163

mma ad Præſtantiſſimæ
Indolis juvenem

THEODORUM SPRENGERUM

DE

PACE

…eo Francofurtenſi ad Mœnum
publicè declamaturum.

NOn, SPRENGERE, ſacræ, juvenem, te Neſtora credent
Pierides, Docti docta propago PATRIS,
Ecquis enim ingenij dotes, miracula Suadæ
Quis rogo, non ſtupeat Jan-THEODORE tuæ?
Te juvenem facies faciet, te dona locabunt
Inter grandævos eloquiique patres.
Quod ſi quem lateat, Sophocleo digna cothurno
Aſpiciat Doctis carmina grata viris,

Aſpiciat jubeo, quæ jam de Pace petitâ
Theſpiadum coram verba cohorte facis.
Et ſic ſi linguæ Suadam perp
Te meritò juvenem dic
Perge ita ſic ipſam cum tem

Inter Apollineos prim

H. E.
...ſcld l. U
Sulzbacin

Sphalmata graviora, quæ invito Authore irrepſerunt, benevolus Lector ſic corriget.

REdde Pag. 2. pro valuit, maluit. Pro lateaque lateque. Pag. 3 pro n. 40. n. 50. pro epist. 1. ep. 1. pro genere, genera. Pag. 4. pro lum æ. ſimæ Pro Tros. Trois, pro pulcri. pulcrius Pro regna. regna. Pag 5. pro Clem. Timpler. 6. 2. Clem. Timpler. l. 1. pag 6. pro vurvo, vrvo pro ex. 1. ex. 5. p. 7. pro arceſſebant. arceſſebantur poſt vocem *Regno* adde ſit 6. p. 9. poſt *licebat* dele punctum. pro quod cum veriſſimè, quod cum ita veriſſimè. pro. n. 124. 142. p. 10. pro nec forum, forumque. Pro Quicciarciano. Guicciardino. pro acies, acie. pro, eſſet, eſt p. 11. pro placidum, placitum. pro v. tilis, vtilis. pro n. 498. 499. p. 12. pro ſimualcrum, ſimulacrum. p. 16. pro Loth. Lorich. p. 17. pro. 727. 272. pro Guiccardini Guicciardin. p. 18. adde poſt el. 3. c 3 p. 20. pro Republicas. Reſpublicas. p. 6. Mojoragius l. Majoragius.

Cætera, quæ facilioris ſunt animadverſionis, benevolus Lector, pro innata ingenii dexteritate facilè emendabit.